

Kenn 3486

(1-12)

543

DE
R A C H I T I D E

CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE,
REGIAE FRIDERICIANAE

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

P R O

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

D. XII. OCTOBR. [MDCCXG.]

P V B L I C E D E F E N D I T

A V C T O R

IOANNES ABR. CAROLVS
SCHREIBER

ANHALTINO — DESSAVICVS.

HALAE,

T Y P I S H E N D E L I A N I S .



VIRO
ILLVSTRI
ET
EXPERIENTISSIMO
KRETTZSCHMARR
A CONSIL. AVLIC.
MEDICO SERENISSIMI PRINCIPIS DESSAVIENSIS
PRIMARIO,
ET PHYSICO CIRCULI DESSAVIENSIS
FAVTORI MEO SVMME COLENDO

NEC NON

V I R O

CELEBERRIMO AC CONSULTISSIMO

MORGENSTERN,

PRAEFECTO IVSTITIAE CIRCULI

SANDERSLEBIENSIS

ET CONSULI EIVSDEM CIVITATIS

HAS CONSECRAT PRIMITIAS

DEVOTISSIMVS

AVTOR.

DE RACHITIDE.

§. I.

A E T A S.

Scriptores recentiores dissentient adhuc utrum rachitis morbus sit nouus, nec ne. Multum sane inest auctoritatis, litis huius componendae; attamen loca quam plurima, quibus illustratur, morbum, quem nostrates rachitidem vocant, olim iam notum fuisse, nullo modo effugere puto veterum scripta perscrutantem. Sic, caetera ut taceam, Hippocrates ipse saepissime de huius morbi agit symptomatisbus, e. gr. in aphor 46. sect. 6.; de articulis cap. 2.; de intern. affect. T. 2. §. 14. pag. 214. edit Lind. et s. p. Sed praeter haec ex veterum scriptis petita praeferimque a cl. ZEVIANI¹⁾ collecta, sequentia quoque aetatem morbi demonstrare videntur

- a) errat si quis obtinere velit, morbum hunc cum nulla Veterum descriptio proset distincta, olim fuisse ignotum, morbi enim diuersi in eorum scriptis sunt omitti de quibus, se non latuisse, satis constat. Vid. GRVNER in antiquit. morb.

b) ratio-

- 1) Della cura de BAMBINI attacati della rachitide cap. 2. pag. 15 — 39.

A



b) rationem nullam, qua nationes ante nos huius morbi expertes esse potuissent, reperire licet, dum caussae omnis generis remotae et illis aderant temporibus.

Quae cum ita sint, satis persuasum me habeo, morbum hunc Veteribus omnino notum fuisse.

§. 2.

D E N O M I N A T I O N E S.

Primam qui dedit, rachitidis descriptionem distinctam fuit GLISSONIUS²⁾ in inclyta Academia Cantabrigensi medicinae olim Professor. —

Annis 1612 - 20. primo inter Anglos se ostendit; sed in eorum Catalogis defunctorum anno 1634. primam inuenimus eius mentionem sub nomine *Rickets*. Inter Belgas sub *Lendenwang* sive *engelsche Siekte*, Italij vero sub *mal del Scimmio* seculo iam decimo sexto nota fuisse videtur. Eodem fero tempore, Suitenses et Franco-Gallos aggrediebatur, qui posteriores *la Châtre* item *la nouüre des Enfans* et infantes ea decumbentes des Enfans nouéss nominauere. Silesii nomen illi dedere *Roete* - sive *Ribbe-Kuchen*.

§. 3.

D E S C R I P T I O.

Descriptiones huius morbi prostant permulta, tot fere, quot sunt de hoc morbo autores. Definitionem

²⁾ F. GLISSONIUS de rachitide seu morbo puerili. Rickets dicto, Londini apud Sadlerum 1650.

tionem tradere nullus luc usque valuit et quamdiu symptoma eius characteristicum latet, opera quaeque definitionis tradendae et perdita videtur.

Status est cachecticus, vbi praesertim mala ossium formatio a caussa interna seu praedisponeente dependens, cum atrophia plerumque coniuncta reperitur. Vitia ossium huic morbo tam propria sunt ut Petit 3) eum omni iure morbis ossium adscribere posset.

Cl. GRVNER 4) eandem fere dat descriptionem et BVECHNERVS 5) dicit in disputatione sua de rachitide perfecta: rachitis est morbus, quo articulares ossium processus intument, ipsaque ossa incuruantur et spina dorsi ex naturali situ suo distorquetur. Sed cum innuat haec descriptio stadia morbi diuersa, ipsaeque ossium deformationes fere sint innumerable, et vix umquam atrophia deficiat, descriptionem supra datam magis nobis satisfacere puto. Sed satis de hoc, cum et temporis et spatii hujus libelli esset dissipatio, plures si hic referrem descriptiones.

§. 3.

DISCRIMEN AB ALIIS MORBIS.

Rarissime, credo, aliis cum morbis rachitidem confundi posse, dum vel symptomata, morbos hos

A 2 con-

3) Traite des Malades des Os.

4) Morborum antiquitates p. 141.

5) Vid. A. HALLERI disput. med. pract. T. 6.
p. 277.

concomitantia, vel confluxus eorum, quae rachitidem designant, satis semper, quinam sit morbus, illustrare possint. Habet omnino quandam similitudinem cum hydrocephalo interno et aliis quibusdam tumoribus frigidis; ast aetas, caussae remotae, symptomata concomitantia, corporis constitutio etc. nullam admittunt haesitationem, quin distinctio sit certissima. Similitudo vero nulla maior esse potest quam illa cum atrophia puerorum quae febres sequitur diuersas. Ventres enim infantum, post diuturnas febres, inflati, tumentes et duri euadunt, his saepe tussis, aliaque tabidorum symptomata accedunt, quae rachitidem plane mentiuntur. Ex abdomen tumido, ex morbo in tabem desinente patet similitudinis ratio inter binos hos morbos. Quibus adeo motus Cl. ZEVIANI 6), in morbi huius antiquitate nimis progrediens, accusat Sydenhamum, acsi rachitidem cum tabe infantum confudisset, immo et iisdem remediis sanasset, sed Sydenhamus, ut ex aliis locis elucet, magnum inter binos hos morbos fecit discrimen, nec eadem methodo currauit. Vid. Dissert. Epistal. p. 718. 779. Nonnulli vero scriptores (et inter hos praesertim C A P P E L 7) relaxationes ossium quascunque ex caussa deriuant rachitica, et tunc esset morbus noster facile cum aliis commiscendus: inflammatio enim ossium, eorum pyosis, excrescentiae cancrofae, resolutio putrida ex fonte praesertim scorbutico, defectus partium solida constituentium, nimia spinae dorsi incuruatio, situs corporis continue malus, exercitationes corporis fortiores, saltus etc. caussae esse possunt ossium malae figurae sed haec quisnam rachitidi adscribere potest?

§. 5.

6) l. c. p. 30.

7) Von der engelschen Krankheit f. 48.

§. 5.

D I V I S I O.

Permuli distinguunt rachitidem, BÜCHNE-
NO autore, in imperfectam et perfectam. Quam-
diu, dicit autor ille 8), ossium processus solum tu-
ment, ingredi vero aegrotis per morbi vim adhuc
licet, *rachitidem imperfectam* . . . sublata vero
etiam ingrediendi facultate *rachitidem perfectam* vo-
cant. Sed ex diuerso morbi gradu discrimen nul-
lum stabiliri potest. Diuisionibus GLISSONII 9),
qui rachitidem assumit *incipientem*, *in crescentem*,
stabilem, *insanabilem*, *remittentem* et denique in
alios morbos transeuntem, idem obici potest.
SAVVAGES 10) adeo, quem et *Sagar* sequitur
diuidit morbum secundum eius complicationes, et
sic statuit *nodosam britannicam*, *strumosam*, *Cal-*
muccorum etc. Sed eum sequentes rachitidis gene-
ra constituere possemus innumerabilia. Magis arri-
det CVLENII 11) diuisio nitens vel morbo sim-
plici vel cum aliis complicato.

Praeterea rachitis, vt plurimae aliae possiones,
esse potest *acquisita*, *baereditoria* (STORCH 12)
protopathica et *deuteropathica*. Endemica occupat
regiones mari adiacentes: *Angliam*, *Belgiam* et om-
nes istas septentrionis regiones. Epidemicam esse

A 3 posse

8) l. c. p. 277.

9) l. c. cap. 20. p. 251. seq.

10) Nosol. method. T. 2. p. 539.

11) medic. Nosologia B. 1. T. 381. deutsche
Uebers.

12) Abhandlung v. Kinderkrankh. 3. B. 16 Cap.
S. 280. seq.

posse STOLL¹³⁾ putat. An vero sit morbus contagiosus an congenitus aut innatus nec ne, posteriorum experientia melius forsitan dijudicabit. GLISSON et post eum KLEIN¹⁴⁾ referunt exemplum rachitidis congenitae, STORCH quoque contendit morbum esse congenitum, dicens¹⁵⁾: Einige Kinder bringen diese Krankheit mit aus Mutterleibe: (Not. dieses wäre unbedächtig gesprochen, wenn ich es nicht selbsten gesehen und erfahren hätte) andere bekommen sie an der Milch etc. et tunc pagina sequenti exemplum congenitae adducit. Sed facile errare hic possumus, dum neonati caput iusto maius et plerumque abdomen habent tumidum, simulque spina dorsi, praesertim partu difficulti, distorta esse potest.

§. 6.

PROCLIVITAS INFANTVM.

Experientia satis edocemur, solos fere infantes rachitidi esse subiectos, ast non quaevis infantiae periodus aequa est opportuna, sed prae ceteris illa dentitionis incipientis. Hinc BÜCHNERVS¹⁶⁾ dentitionem ipsam veram rachitidis putat caussam quae in subiecto, per alias caussas praedisposito, eam determinet. Sed Vir clarissimus nullam ipse adducit rationem probabilem nec ullus aut ante aut post eum dentitionem caussam probauit veram, hinc eam vt symptoma nec vt caussam habere oportet.

CVL-

¹³⁾ prael. in div. morb. chronic. Vind. 88. p. 22.
curante Eyerel.

¹⁴⁾ Diff. fistens casum rachit. congenitae 1763.

¹⁵⁾ l. c. p. 213.

¹⁶⁾ l. c. §. XVIII, p. 291.

7

CVLLEN 17) ex mala materiei ossificantis naturae distributione phaenomena et caussam deducere studet; materies enim, eo iudicante, ossificans, tempore rachitidis incipientis ad ossa firmando elaborata, male dispartitur et sic fontem offert status huius aduersi. Argumenta, quibus hanc defendit sententiam, quamvis dubia adhuc permittant, longe superant alia ab aliis scriptoribus pro sua quaquae defendenda opinione tradita.

§. 7.

D E C V R S V S .

Prodromos, si qui adsunt, cum plurimis corporis pathematibus habet fere similes. Circa dentitionis tempus (quo et ossa caetera euadunt firmiora) exoritur laffitudo spontanea, inquietudo, torpor insolitus, indifferentia in res olim delectantes, sensus ponderis, somnus perlongus, addephagia (ita ut praeter dormiendum et edendum nil praestare videantur), digestio turbata, deiectio alui raro sincera, plerumque obstructio, saepius et diarrhoea, saepe ructus et vomitus. Respiratio fit anxia et difficilis, facies albicans et tumida, color genarum, alias ruber, evadit citreus, oculorum color plerumque plumbeus, cutis peripheriae laxa et pendula, somnus inquietus, cutis mador initio solum in fronte apparel mox vero in sudores conuertitur profundissimos, symptomata Cachexiae,

A 4

§. 8.

17) Anfangsgründe der ausübenden Arzneywissenschaft 4 B, §. 1664.

§. 8.

Vires, morbo progresso, magis magisque prosterantur, debilitas corporis praefertim muscularum ex die in diem increscit, quod praecipue eundo et loquendo conspicuum est. Qui facultate et ingrediendi et loquendi nondum gaudebant, sero eam acquirunt, attamen hanc prius quam illam, vnde et veniat, Anglos morbum hunc timere, si infantes eti gradi non valent, iam loquuntur. Qui, vero facultates has iam acquisuerant, in posterum plus minusue amittunt, attamen tempore hyemali magis semper iis sunt priuati. Situm amant horizontalem in dorso, vt melius, sic enim videtur, caput dependens sustentare possint; hanc ob caussam palpebram superiorem attollunt, vt pupillam ad opposita melius vertere possint, quae consuetudo et rachitide liberatis aetate seniori adhaerere solet. Caput fit grandius et pendulum; ossa cranii iuncta separantur et multum dehiscent, pars crani superior mira est latitudinis et superficie planae, os frontis protuberat et quasi angulosum est, temporibus intropressis. Dentes, primo flavi, dein nigri facti, decidere incipiunt, nouique lente et cum doloribus succedunt, facies pallida, flaccida, inflata et colore sulphureo, venae jugulares amplae. Collum tenue longum quasi brevius esse videtur, ob humeros eminentes, caput, inter assurgentesscapularum summitates non rite sustentatum, procumbit pendulum. Claviculae varie incurvantur. Thorax ob conuexitatem costarum mediarum diminutam lateribus est compressus, sternum protuberat acuminatum, hinc diameter thoracis antero-posterior prolongatur, dum e contrario transversus diminuitur. STORCH¹⁸⁾ spatium inter costas

18) l. c. p. 261.



stas intropressas intra thoracem trium saepius digitorum vix inuenit. Processus xiphoideus, vt et costae inferiores, a contentis abdominis protruduntur. Abdomen est praetumidum praesertim in hypochondrio dextro a nimia nimirum hepatis mole, hac quoque et aliis ex caussis infra ¹⁹⁾ adducendis dispnoea fere oritur continua. Macies et debilitas extremitatum magna, superiores, praesertim digitii, longiores videntur quoad caeterum corpus. Osteogenesis est valde inaequalis et irregularis, pars media, extremitatibus iam ossificatis, saepius est adhuc cartilaginea, epiphyses apparent nodosae, quod praeципue in carpis et tarsis est conspicuum (hinc denominatio membrorum duplichum ortum duxisse videtur), exoriuntur tubercula, vt ossa fracta quasi appareant. Emollitiones ossium sunt permagna simulque et fragilitas, ita, vt parua vi comprimi, minimo instrumento diuidi, solo saepe tactu vel alia vi externa minima frangi possint. Has ob caussas mirabiles saepe ossium oriuntur desfigurationes, praesertim spinae dorsi, cuius flexura diuersa et varias accepit denominatio-*nes κύφωσις* ea nimirum vocatur, si spina anterius con-*vexa gibbum constituit, λορδώσις* (recurratio) nomi-*natur ea flexura, qua spina interius et anterius curuat, σκωλίωσις* (obliquitas) si spina flexa literam Latini-*orum S.* imitari videtur.

§. 9.

Symptomatibus his alia adhuc ex irritabilitate alienata orta accedunt. Plurimi ingenii acumine pollent, nonnulli quoque sunt stupidii. Quae qui-*dem sunt contra BÜCHNERI obseruationes, dicit*

A 5 enim

¹⁹⁾ §pho sequenti.



enim 20): ego saltem plures stupidos rachiticos quam facultatibus animae valentes hactenus vidi, et si hos quoque viderim. Sed Vir clarissimus hac in observatione summis viris solus contradicit. Van SWIESTEN 21) putat: stupiditatem, quae interdum reperiatur, a morbis dependere complicatis, quam quoque opinionem ipse BÜCHNERVS fouere videtur, dum dicit in sectione anatomica spho sexto addita p. 282. „sed cum perpetuo stupidia esset aegrota, se-
„,cus ac illa, de qua historia secunda agit, non du-
„bito, quin humidum cerebrum occurrisset, propterea
„quod tale stupidis infantibus esse, tot sectiones iam
„testatae fuerint.“ Trnka de KRZOWITZ 22),
hac de re agens, annotat: confiteri debemus, eos,
qui thorace male formato, pedibus incuruis, magnoque capite laborent, et serius viuant, exquisita sensuum omnium gaudere facultate. Sensus externi variis laborant vitiis, sic puellae a BÜCHNERO spho tertio descriptae, tribus ante mortem diebus visio obsecurari incepit, et illa spho sexti tribus ultimis diebus de nebula oculos obsecurante conquesta est. R speratio fere sem per est difficilis, ita, ut plurimi disponae emoriantur. Phaenomenon hoc multos habet fontes, sic hepatis nimiam molem qua pulmones comprimuntur; cauum thoracis male formatum (§. VIII.); debilitatem muscularum respirationi inservientium; humores resolutos (vt saltem sectio-
nes Cl. RVOFF 23) et BÜCHNERI 24) satis ostendunt.

20) I. c. §. XIII. obs. 4.

21) I. c. p. 603.

22) Geschichte der englischen Krankheit, aus dem Lateinischen 1789. p. 123.

23) I. ZELLER et auctoris Chr. Abr. RVOFF di-
sput. de morbis ex strictura glandul. praeter nat.
natis C. I. art. 2. N. 15. (vid. Hall. disput. med.
pract. T. 6. N. 190. p. II.)

24) I. c. p. 281.

dunt); vitia cordis et pulmonum; humores in cauum thoracis extrauersatos. Appetitus est alienatus, plerique sunt addephagi, rarius est corruptus ut in pica aut malacia, rariissime est naturalis. Sed quamvis sufficientem, adeoque nimiam, ciborum quantitatem assumant, corpus non nutritur, a dulcibus fructis e. gr. saccharatis, pomis, pyris, passulis etc. male fere omnes se habent, sic ut inde saepius in vomitus continuos et alias affectiones incident. Vomititione et ructibus rachitici quoque patiuntur, praesertim si cartilago ensiformis sterni contra vulgarem consuetudinem effet intropressa. Aluus est plerumque obstructa, saepe per octo et plures dies, scybalia indurata ea vi tunc saepius extruduntur, ut una profuat sanguis. Nonnumquam alii deiectiones fluidae sunt, saepius vero naturales, attamen crebriores. Diarrhoea in vigore morbi est symptoma ita constans, ut ZEVIANI et WALD-SCHMIDT nullum viderint rachiticum qui diarrhoea non laborasset; interdum diarrhoeam sequebatur obstructio²⁵). Vrinae excretio plerumque est naturalis, rarer retentio. Sudores non saepe vniuersales, eo frequentius vero partiales, idque imprimis in fronte, postea in toto capite, collo et nonnumquam in pectore se ostendunt.

Haemorrhagiae sunt ab sanguinem resolutum non insolitae. Spasmorum et tonicorum et clonicorum exempla scriptores fere omnes referunt.

Febrि-

²⁵) Secundum LEIDENFROST (diff. med. exhibens nonnulla de rachitide, resp. Wilckinghoff, Duisburgi 1771. p. 16) vrina rachiticorum signum morbi est characteristicum, coloris enim est albicantis, turbulenta et redolens alcali volatile. In nullo alio morbo eam sic inuenit et in rachitide semper.

Febriculam lentam, morbum iam progressum modo concomitantem secundum plurimas obseruationes (STOLL) ²⁶⁾, statim ab initio morbi adesse nonnulli obtinent (LEIDENFROST) ²⁷⁾. Facies plena hucusque, flaccida tamen et citreo aut sulphureo colore plerumque tineta, nunc ita collabitur et in rugas contrahitur, ut referat illam senum. Et sic miserandi, omni gradiendi potentia priuati, omnium fere functionum liberi usus expertes ex toto debilitati et macerati, magno capite ac inter scapulas eleuatas, quasi impresso aut pendulo, facie terrorem iniiciente, ossibus longis curuatis, epiphysibus nodosis, thorace ex latere compresso et anterius eminente, spina dorfi mirum in modum diuersissimos gibbos constitue, et abdomine praetumido, ex homine in monstrum degenerati videntur. Tali miserando spectaculo mors sane erit optatissima, quae quoque conuulsionibus, dispnoea continua, febri lenta haemorrhagiis summe debilitantibus, magis adhuc accersita, mox vel apoplexia vel suffocatione finem imponit.

§. 10.

INCONSTANTIA SYMPTOMATVM.

Haec symptomata, ut semper ordine descripta (§. 7-10.) aut eo gradu aut eo numero adint nec oportet, nec fieri vix umquam potest. Immo deficiunt saepe symptomata primaria, quamuis morbi sit vigor, morsque ipsa iam imminet. Nec macies corporis, nec caput magnum nec thorax male formatus, nec

26) Praelect. in diuers. morb. chronic. p. 21.

27) Diff. cit. p. 15.

nec alia adsunt, et attamen ultimum iam trahunt rachitici spiritum. WOLFF e. gr. narrat in annalib. Vratislavien. se aperuisse infantem, morbo hoc enectum, cui corpus bene omnino esset formatum, cui vndeque magna fuisse adipis copia, cuius abdominis contenta integritate excelluerent etc. ROSENSTEIN ²⁸⁾ dicit: sibi duos rachiticos intotuisse, qui magnitudine corporis pollerent. STORCH et ISENFLAMM referunt exempla; caput iusto maius, non semper, nec sine vlla quadam exceptione esse necessarium. Sic et intumescens articulorum, quamvis signum fere sit pathognomonicum, interdum deficiebat.

§. II.

CAVSSAE PRAEDISPONENTES.

Omnis fere omnino causae prodisponentes vel a parentibus vel ab altrice peti solent. An vero rachitis vitium parentum aut altricis semper supponat, nonnulli adhuc dubitant; ex magno enim numero familiae vnum saepe modo infantem, quamvis omnes pariter et iisdem sub conditionibus educarentur, rachitidi infestum fuisse, non vna docet obseruatio. Attamen quoque relatis, contrarium demonstrantibus, non indigemus. BOERHAAVIUS e. gr. narrat: octo infantes a matre ipsa lactatos numquam quid rachitici sentiisse, nonum vero natum et ab alia lactatum in rachitidem incidisse. STORCH, ALBERTI, HEISTER, BVRGGRAF, WOLF, BÜCHNER, STOLL etc. vnamimenter parentum et altricis accusant vitia exemplaque adducunt, vt inde

²⁸⁾ von Kinderkrankheiten — im Capitel von der engelschen Krankheit.



inde amplius dubitare nequeamus, an morbi excitandi partem habeant parentes aut nutrices, nec ne.

Praedispositiones praebere possunt.

- a) parentes vlo quo modo debilitati, parentes cachectici, hydrope, phthisi, hectica, scrophulis, arthritide, scorbuto, lue venerea (quam praesertim accusat BOERHAAVIUS) ulceribus etc. laborantes, nimio amore vtentes, pater aut mater aetate bene iam valens, parentes animi pathematibus, praesertim tristibus saepe affecti. Praeterea quodcumque vitium parentum vnde proli genitae debilitas exoriri possit. In genere vero magis semper matris aut nutricis vitia quam illa patris respicienda esse, summi annotauere viri.
- b) parentes rachitici, haereditariam enim rachitidem esse, vix negari potest.
- c) Incertum adhuc est, quinam sexus ad morbum sit proclivior. Ciuitates magno hominum numero repletæ GLISSONII opinionem, sexum nimirum sequiorem ob structuram eius subtiliorem magis esse praedispositum, defendere vindentur.
- d) periodus infantiae ex mense nono ad trigeminum usque.
- e) temperamentum infantis phlegmaticum et humidum.

§. 12.

CAVSSAE OCCASIONALES.

Ad caußas occasionales quocunque debilitans pertinet, hic accusantur.

a) alimenta.

a) lac non satis nutriendis, praesertim ad acidum inclinans; hic ergo nutricis constitutio, diaeta, aetas, tempus, ex quo iam lactat, animi affectus, status eius corporis eiusque sanitatis sunt disquirenda.

B) alimenta saccharata; quibus infantes plenius impletur, quaeque eo magis nocent, cum ea iam ipsi rachitici recusent,

y) farinosa tenacia; quae nimis saepe dantur, adeoque iam mala coctione laborantibus, hinc iusecula farinosa, panis nimia quantitate assumptus.

d) cibi ab aliis hominibus masticati et infantibus pro nutrimento dati; methodus haec inutilis est et nocua, — inutilis — quia masticando partes optimae et nutrientes extrahuntur, — nocua — quia infantes una salivam hominem saepe pessimam et veneniferam assumunt.

e) diaeta nimis lauta praesertim aquoso — calida, potus cereuifiae corruptae acidulae etc.

b) Zona humida et frigida, nebulosa, regiones mari cinctae, venti humidi et refrigerantes.

c) varia

- c) varia corporis molimina et passiones; sic: tussis continua, qua praesertim expectoratum infantes deglutiunt, tussis anhelosa, febres intermitentes longae, febres acutae, morbilli, variolae, scabies, aliaque exanthemata praesertim retropulsa, excretiones nimiae debilitantes: sudores nimirum profusi, vomitus continuus, lienteria, diarrhoea, haemorrhagiae, nimia vrinae excretio, vlcera multum suppurantia etc. vermes, dentitio, fracturae ossium, acrimonia primarum viarum acida, mala digestio, bilis iners, animi affectus et sic porro.
- d) impuritas, remora continua in tabernaculis humidis, et aquosum exhalantibus, lectus pariетi humectanti adstans, omniaque transpiracionem supprimentia.
- e) Nemo quidem hucusque rachitidem obseruauit contagiosam, nihilominus intuta mihi videtur. Varia enim exempla, in scriptoribus mihi occurrentia, satis me docuerunt contagium rachiticum omnino esse suspectum. Plura vt omittam, BÜCHNERVM modo allego, qui in vna eademque familia vndecim inuenit infantes ex eadem matre, quae quidem scrophulosa erat, genitos; et sic saepissime plures ex vna familia rachitide plerumque laborarunt. GLISSONIVS 29) ipse, hac de re disputans, non multum alienus fuisse videtur a contagii suspicione, Vid. quoque hac de re: Histoire natur. generale et partic. Tom. V. p. 300. 301. Tab. 35. et 51. Hinc et alias plures ob caussas, si et contagium obliuiscor, concessio, qua infantibus

29) Cap. XVI. p. 183. seq.



bus iuxta rachiticos dormire liceat, reprehendenda mihi videtur.

- f) Simul non possum non, quin hic recensem, malam illam consuetudinem, infantibus opiata prorrigendi, saepissime hinc solum rachitis nascitur. Omnes fere mulieres, infantibus quae inferuiunt, malam hanc exercent consuetudinem, id intidentes, ut clam opiata propinando somnum infantibus concilient.

§. 13.

CAVSSA PROXIMA.

Iam e primis temporibus disceptabant autores de caussa rachitidis proxima. GLISSONIUS eam putauit frigidam et humidam intemperiem, cum spina dorsi praeternaturali vnde nerui extra cranium orientes laeduntur; HEISTERVS in obstructa medulla spinali; LEIDENFROST in pinguedine a naturali dulcedine alienata quaesuit; CULLEN deduxit ex defectu materiei, qua partes formantur solidae, quaque ossa acquirunt duritatem et continuitatem; BOERHAAVE cocochymiam inertem, mucosam, frigidam, vappidam, latente forte leni labe venerea permistam, cum laxa partium firmarum fabrica causam mali putauit. Sed hae, et innumerabiles aliae opiniones singulatim in scriptis autorum sunt oppositiae et reiectae. Plures hic si adferrem, temporis et spatii esset tritio, nisi forsitan vna adhuc disquisitione quadam digna videatur. Cum ZEVIANI nimirum et pluribus recentiorum accusant CAPPELL ET TRNKA DE KRZOWITZ acidum quoddam quod praesertim e lacte malo et aliis infantum alimentis

B

origi-

originem ducat, et partim in primis, partim in secundis viis, partimque in humoribus hinc secretis, adeoque in solidis ipsis suam habeat sedem. Acrimoniam quandam acidulam multum ad rachitidem excitandam conferre posse, nullus dubito: sed hinc non sequitur, caussam esse sine qua nulla rachitis. **S T O L L** 30) ipse acidum hoc caussam dicit praedisponentem, sed negat, rachitidem ad morbos ab acido pertinere. Rarius, pergit, sanant absorbentia sola, et forte numquam, nisi aliis remedii iuncta. Simulque huic sententiae oppugnant, quod acidum quoddam euolutum nec in primis viis, nec in secundis, et eo minus in secretis humoribus, adeoque ipsis solidis adesse possit, quodque terrae calcareae et acidiphosphorici (quod vtrumque cum glutine ossa constituit) proxima sit fere affinitas.

Mihi quidem caussa proxima, praedisposita quaedam massae osseae mollities, esse videtur, quae vero solummodo, remotis accidentibus caussis, statum rachiticum gignere valet; hinc ad caussas remotas praesertim debilitantia referuntur, hinc morbi initium incidit praesertim in illam infantiae periodum, qua natura ob varia eius molimina (quo praecipue dentitio et ossificatio firmior pertinent) iam per se debilitatur; hinc varia ab autoribus praescripta medendi methodus, quae omnino mutatis caussis remotis et mutari debet; hinc denique, prout aut vis musculorum, aut sanguinis impulsus, aut debilitas topica aut vsus ipse ossium egerint, variae illae deformationes: ossa incuruata, tuberculosa, gibbosa, elongata etc. Sat quidem persuasum me habeo, theoriam hanc varia admittere dubia, sed ea ut satis remoueam, et tempus, et spatium huius libelli me impedit, quod deinde in aliud differo tempus.

30) l. c. p. 24.

§. 14.



§. 14.

A N A T O M I A.

Cadavera sero obrigent, diuque post mortem quendam caloris gradum retinent. Sanguis plerumque tenuior et fluidior tarde aut numquam coagulatur. In ventriculo et intestinis, variis locis angustatis, et interdum, secundum Matth. HALLER 31), in cauo quoque abdominis aer reperitur. In cauo abdominis seri cuiusdam cochlearia aliquot saepius aderant. Glandulae mesentericae sere semper intumescunt, vaseaque ibi sunt obstructa. Splen plerumque naturalis, nisi interdum solito maior aut minor; hepar vix numquam naturali multo maius, caeteroquin plerumque integrum; vesicula fellea interdum maior et extensior bilem veram raro tenebat. BÜCHNER 32) ibi inuenit aerem loco bilis; WOLFF 33) aquam turbidam sine omni sapore. Pancreas et renes nunc naturales nunc praeter naturales. Pulmones plerumque pleurae adhaerentes, tophis et tuberculis obsiti. Vel cordis ventriculorum unus vel ipsum magis plerumque est dilatatum, pericardium raro pulmonibus est tectum; STORCH 34) saepius una vice vidit liberum, cum corde inclusio, sub sterno iacere. Cauum thoracis, ob costas intropressas, quasi dipartitum appetet sic, ut in parte anteriori cor et pericardium, in posteriori pulmones siti sint. Seri quid extraua-

B 2

fati

31) Math. HALLER de rachitide. Vid. Dissert. med. in Vniuersit. habitae ad morb. chronic. pertin. et STOLLII praelect. conscriptae. Viennae 1788. T. I. p. 167.

32) l. c. p. 282.

33) Anal. Vratislav. Tent. 36. A. 1776. Iunii Cl. 4. Art. 16. p. 729.

34) l. c. p. 263.

sati etiam in cauo thoracis adfuisse, nonnulli simul annotant scriptores. Thymus plerumque est per-magnus et induratus. Ossa cranii variis locis iusto crassiora, aliisque tenuiora. Cerebrum, nisi moles eius solito maior textusque mollior et tenuior fuerit, caeterum naturale. Sin vero, ut saepius, hydrocephalus internus simul adest, multum quoque a statu naturali abhorret. Linguae moles vix umquam aucta non est, processus ossis hyoidei saepius nodosi, impedimentum et loquendi et deglutiendi dant no-uum. Ossa caeterum fere omnia sunt emollita et distorta, sic praesertim ossa pecten constituentia. Su-perficies eorum est nodosa, incrustata, inaequalis, poris perforata, qui pressi fluidum emitunt tenuie, subalbicans. Praeterea sunt laevia, fragilia, tumida, medullam continent fluidiorem et crebriorem,

§. 15.

D I A G N O S I S.

Diagnosis plerumque ambigua est morbi saltem incipientis, pathemata plura enim eosdem habent prodr̄mos. BRENDEL ex eo, quod infantes fa-cultate loquendi, quam ingrediendi maturius gau-deant, motionemque ferre posint nullam, macilentes sint atque laxi, aliquid stabilire putauit. Sed ista morbum iam ipsum indicant. Signa, si quae sunt rachitidis futurae diagnostica, quibus fides habere possit, haec esse credo.

- 1) actas infantis, incidens plerumque intra tres quartas partes anni primi et initium anni tertii.
- 2) caussae praedisponentes et occasioales in §. 11 et 12, recensitae.
- 3) pars

- 3) pars pilosa capitis solito planior, tumor capitis flaccidus.
- 4) fratres et sorores eodem malo iam decumbebant.
- 5) abdomen tumidum.
- 6) facultatem ambulandi serius acquirunt, antea si iam acquisierint, tardius incedunt, pedibus infirmius insistunt, vacillant, titubant, cadunt.
- 7) agilitas corporis, et puerilis petulantia minuta, quam alius morbus non sequitur, et praesertim si lassitudo haec insolita et tarditas perduret adeoque inaugetur.
- 8) ingenium praecox, sensuumque usus illibatus.
- 9) appetitus optimus, et si corpus non nutritur.
- 10) laxa et flaccida cutis musculorumque constitutio.

Morbum adultiorem facilius agnoscere possumus. Caput enim maius, futurae dehiscentes, venae iugulares ampliae, thorax ad latera compressus, sternum prominens, costae intropressae et nodosae in extremitatibus, abdomen tumidum, desfigurationes ossium, spina distorta, epiphyses nodosae, tuberculofacie, summa corporis laxitas, febris etc. tot sunt characteristica, ut morbum mentiri nequeant,

§. 16.

P R O G N O S I S.

Rachiticorum numerus permagnus quidem est, sed saepius, nisi vigorem ascendat, eam, regimine



adæquato diaëtaque idonea, vel vires corporis medicatrices, calore forsitan naturali aucto, vel febres superuenientes, optime sanant. Malae passiones faepius rachitidem sequuntur curatam: cachexia scrophulosa, vitia loquelae, corporis deformitates, gibbositas, febres acutae et lentae, dispositio pleuritica et calculosa, hydrops, tumores et caries ossium, paralyses etc.

Sexus sequior inde, ob ossa pectinis et spinae dorsi distorta, ad partus difficiles est pronus.

Rachitici plerique, macie magna laborantes, postea corpus retinent macilentum.

Qui facilius tolerant iactationem corporis omnimodam, cacteris paribus, facile curantur.
GLISSON. p. 240.

Laesiones externae: casus, ambustiones, fracturae prouocant, facileque augent morbum. BÜCHNER p. 287.

Anno aetatis 7, 11. et 15. morbus siue soluitur siue augetur.

Variolæ lethales non sunt, raro tamen bonae, et faepius occupant, BÜCHNER p. 288.

Scabies aut aliud exanthema rachitidi accedens boni plerumque est ominis. ROSENSTEIN. Intumescientia corporis subitanea, vomitu excitato, facile post aliquot dies soluitur; sin vero per corpus circumuagatur, mala.

Febris lenta, subitanea quaque corporis mutatio (sic diarrhoea in obstructionem transiens) haemorrhagiae, magna graueolentia oris, dentium cariei super-

superueniens, rachitis connata, hydropes, praecipue hydrocephalus internus, pleuritis accessa et sic porro sunt mala plerumque lethifera.

Facies hactenus tumida in rugas collabescens pronuntiat plerumque mortem dic decimo quarto postea. BÜCHNER.

Visui obfuscanti et pedibus emortuis mors non ultra tres aut quatuor dies imminent. BÜCHNER.

Qui crura sursum trahunt, neque ea lubenter extendi patiuntur, difficulter curantur. GLISSON.

Coelum humidum et frigidum morbum facit et auget; hinc tempestas austera et hyems, mala, aestas vero serena et sicca, opportunior. BÜCHNER.

Quo iuniores hic morbus inuadit, eo, caeteris paribus, est periculosior.

Quo enormior est moles capitis eo longior et difficilior curatio. Quo debilior est spina dorsi, eo grauior et periculosior morbus. GLISSON p. 286.

Dentes nigrescere aut frustalatim excidere periculo non vacat, idque eo peius est, quo tardius alii in locum eorum succedunt. GLISSON.

Qui statum morbi attingunt, quo nempe is non amplius augetur, omnes, si recte tractentur, euadunt, nisi forte aliis morbus sit coniunctus aut casu aliquo superveniat, aegrumque in augmentum alterius deturbet. Declinatio vero symptomatum similiter, sed certius, sanitatis restitutionem pollicetur. GLISSON p. 287.

San-



Sanguis ex ore profluens, siue tussi siue spuendo promotus, rarius signum est vasorum disruptorum, quam dilatatorum et relaxatorum. Symptoma pectoralia, praesertim respirationem laudentia, valde periculosa.

§. 17.

THERAPIAE INDICATIONES.

Triplex semper erit medici officium in rachiti de tractanda.

- 1) auertat eam quae ex diagnosticis supra (§. 15.) allegatis nascentem se prodit.
- 2) sanet iam praesentem eiusque complicationes.
- 3) tollat corporis passiones post curationem reliquas.

§. 18.

THERAPIA RACHITIDIS FVTVRAE.

Rachitis ex diagnosi et prognosi futura iudicata, nullis adhuc internis indiget plerumque medicamentis, vix enim verosimile videtur, quantum natura sub diaeta et regimine adaequato hic efficiat.

a) diaeta.

Seliguntur vero in genere omnia, quae facile digeruntur, acidum primarum viarum non alunt, nihilque glutinosi continent et sic vi viscerum chilopoieticorum subigi et in bonum chylum

chylum mutari possunt, huc pertinent, aues
assiae, oua molliter cocta, assa vitulina, agni-
na, carnes vuis passis praeparatae, iuscula
e carne vitulina et gallinacea; oryza, sago,
dauci vulgaris, sezonerae radices. Omnia
haec aromate quodam mixta esse possunt, sic
nuce moschata, cardamomo, cinamomo et s. p.
Panis sit, si fieri potest, ex purissimo tritico et
biscoctus, additis quoque quibusdam aromati-
bus et raborantibus.

Potus ordinarius sit aqua simplex vel aqua
cum roborante quodam: cortice peruviano
Winterano, imbuta. Interdum de die dari
potest, secundum v. SWIETEN 35) pauxil-
lum cereuifae non fermentatae, vinique Hip-
pocratici 36). Prae reliquis cereuifia Brusui-
censis, quae sub nomine Mumme habetur, hic
se commendat, referuntur huc et aqua Sel-
terana, pluresque medicatae, aqua pauxillo
vini rhenani mixta, Coffea, praesertim ex glan-
dibus querneis tostis parata et frigide sumta.
Iuuat vero, si haec omnia, praesertim solidiora,
copia dantur moderata et saepius de die, ne ni-
mia quantitas ventriculum grauet. Si infantib-
us adhuc lactantibus rachitidem praecauere
intendimus, nutricis assumta eiusque regimen
praesertim vna respicere debemus. Ablactio-
nem, si res cito mutari nequeunt aut nutricem
aliam

35) l. c. p. 617. seq.

36) paratur vinum hoc, dum sex libris vini generosi
rhenani vnciae quatuor Cinamomi lectissimi, for-
fice concisis, sed non contusi infundantur frigide,
stent vase clauso per 24 horas, addita simul tali
copia facchari, ut edulcoretur, dein colatum
feruetur.

aliam omnibus fere hic constitutis, medici praeferunt.

b) regimen.

Remora, præsertim sole occiduo, sit locis siccis in elatiōri, si fieri potest, aedium parte; in tabernaculo ligno tabulato, sed nullo pigmento obducto. Conclave lectistitii idem sit paratum. Stratis plumeis substituantur ex polypodi filicis maris foliis forcipe conscissis, et antea in umbra exsiccatis, cum duplo ponderis palmarum hordei addito, parata. Stragulae lectorum laneae lineis præferantur. Sic quoque sunt industria, caeteraque vestimenta, ex lana parata, iis, quae ex lino conficiuntur, meliora; linea enim repercutiunt, quae irruunt, linea vero plus humidi in se recondere possunt, hinc et sedulo exsiccanda sunt, anteaquam de novo induantur. Præ caeteris et impuritas evitetur, hinc industria, vestimenta et lectos quam saepissime aliis mutare præstat, et bene antea semper exsiccantur.

Motus corporis instituitur quotidie, vehendo, eundo, oscillando, lectisque pensilibus, levavi agitatis. In morbo iam adulto motus semper fiant sub situ corporis horizontali.

Gestationes in nutricum vel gerularum vlinis non aequem commendarem, dum eo thorax comprimitur.

Ast frictiones magnam præstant utilitatem, mane instituantur, vacuo adhuc ventriculo, pannis lancis, vapore benzoini, succini et cacterorum roborantium gratorum imbutis.

Huc



Huc et pertinent balnea tepida et frigida,
Ad tepida referuntur aquae medicatae martia-
les vel alcalinae, et aquae viribus aromaticis
delibutae. F. GHERLI 37) decoctum sideri-
tidis annuae praesertim commendauit.

Balnea frigida laudant praesertim ROSEN-
STEIN, METZGER, FICK, STOLL,
ARMSTRONG, CVLLEN etc. et sine omni
dubio, praesertim in morbo praecaudo quam
plurimis remediiis, minus tutioribus, praeferre
potest.

CVLLEN testatur 38): se in iis familiis,
quae consuetudinem, infantes et recens natos
aqua frigida lauandi, obseruarent et continua-
rent, nullum adhuc vidisse rachitidis exemplum.
Prae caeteris Ion. FLOYER 39) hac de re legi
meretur.

§. 19.

In altero Medici officio, morbum ipsum curan-
di, hae ducere possunt indicationes:

A. Caussae rachitidis.

B. Chylificatio et sanguificatio mala.

C. Mor-

37) Rare offerv. di Medicina e Ciruf. Cent. 2.
Offerv. 29. p. 183. seq.

38) Anfangsgründe der praktischen Arzneywissen-
schaft 4 B. p. 184.

39) Psychrolusiae or the history of Cold-Bathings.
p. 50. seq.

- C. Morbi complicati.
- D. Humores praeternaturales.
- E. Corpus debilitatum.
- F. Defigurationes post morbum residuae.
- G. Symptomata vrgentia.

A. Cauffæ rachitidis,

Praedispositam quandam campagis ossae molitiem, supra vt cauffam rachitidis proximam protulimus, quae vero praedispositio nullos omnino habeat effectus rachiticos, nisi cauffis adiuta remotis. Disquirat ergo medicus, quae-nam sit cauffa adiuuans, et tunc omnibus viribus eo tendat, vt remoueat. Cum vero omnes cauffae remotae, quas tollere valemus, vel sunt ex diaeta non idonea, vel ex malo regimine, vel ex aeris constitutione humida or-tæ, hasque iam spho antecedenti recensuerim, hic nil adiciendum puto.

§. 20.

- B. Vitia chylificationis et sanguificationis dependent præsertim
 - a) a fordibus primarum viarum,
 - b) a bile inertii,
 - c) ab obstructionibus mesaraicis aliorumque viscerum,
 - d) ab acrimonia acida,

a) for-



a) sordes remouendae.

Magna adhuc inter celeberrimos Medicos est disceptatio, quaenam sint danda euacuantia, vtrum emetica an purgantia. Sed vtraque esse adhibenda, docet et natura et experientia. Infanti enim rachitico, si biliosas, pituitosas, aliasue sordes sursum turgescere, signa docuerint, praesertim si his accederent nausea, vomituriendi conatus, ipseque vomitus, emeticum fane non denegandum videatur. Hepar mole auctum, ultra costas toties eminens, dubitare omnino iubet, an suadendum sit, concussions diaphragmatis et muscularum abdominis excitare. Sed, omnibus bene perpenfis, hepar magnum nos ab vsu apto emeticorum retinere nequit; idque praesertim quod sordes hae fere semper cauas alunt rachiticas, et quod clinici ex emetico rite dato, adeoque aliquoties cum prudentia repetito, ne vllum vix videbant incommodum; sed magnam e contrario utilitatem. Procliuitas subiecti ad haemorrhagiias, praesertim pulmonis, plane quidem usum emeticorum vetat, sed saepius et hi sanguinis fluxus a sordibus oriuntur, et tunc citissima euacuatio et optima erit medela.

Summa vero perpensione medicamentum, vomitum excitaturum, semper eligere debemus. Longe enim mitius emeticis antimoniatis agit Ipecacuanha, quae dosi parciori data secundum obseruationes recentiores idem praefstat, nec illas turbas in corpore excitat, quas olim de ea, maiori quantitate

C data,

data, medici semper timebant. Recens natis, immo aliquot modo qui viuunt dies, quadrantem vel dimidiā grani partem porrigitere possumus. Qui vero ventriculo, tenui pituita obducto, laborant, qui parciori gaudent irritabilitate et sensibilitate, post resoluens, si necessarium sit, dandus est taratarus emeticus. Quibus vero hic minus placeret, adhibeant vinum antimoniatum Huxhami, aut sulphur antimonii, caeteraque ex hoc metallo praeparata.

Profunt emetica non solum ut euacuantia, sed resoluunt quoque obstructiones viscerum abdominalium, concussionem excitando: adiuuant excretiones pulmonum; reuocant transpirationem suppressam etc.

Eadem ferme utilitate, saepiusque maiori, sed et periculo adaequato adhibentur purgantia. Frequentius, quam emetica requiruntur, propterea quod raro ea diaeta vtantur rachitici, quae sordibus non faueat, et emetica ob nixum eorum violentum, si fieri potest, melius euitentur. Infantum debilitas, sordibus putridis aliisque saepe nutrita, nullo modo nos ab eorum vsu recto retineat. Abdomen vero ob nimiam hepatitis molem, ob tumores alias abdominales, ob spinam dorsalem distortam, tumescens, nunquam e contrario suadeat eorum applicationem. Ceteroquin vero purgantia non sint draistica, nec plures excitant sedes, nec saepius repetantur, negari enim non poterit, corpus et praesertim intestina a quibus cunque

cunque laxantibus continue adhibitis magnopere tandem debilitari, hinc in subiectis quae obſtructionibus, feybalis induratis, ſedibus molestis etc. inclinant, elysmata adhibemus emollientia, quibus continuandis tonicum quoddam e. gr. cortex peruv., rub. tinct. etc. addi potest. Ob eandem laxantium virtutem debilitantem, omnes ferme medici rheum caeteris praeponunt purgantibus. In subiectis pituitofis, minusque ſenſibilibus, rheo, ſales neutros, radicem ialapae, folia fennae, mercurium dulcem admiscere, utilitatis eſſe, experientia docet. Infantibus acrimonia acida laborantibus, absorbentia terrea et alcalina adduntur. Quibus vero intestina ſunt relaxata et debilitata, cortex peruuianus, aut aliud raborans, vna cum rheo propinari ſolet. BOERHAAVE, eiusque commentator illuſtriſ, hanc praefertim laudant cereuifiam.

Rq. Rhei optimi 3ʒ.

Myrob. citr. 3ij.

Agarici. trochifc. 3ij.

Infund. c.

Cereuif. frigid. non ferment 1lbj.

Stet. per 24. hor.

Potus hic quatuor hebdomades adhibetur, effectu ſin eſſet fortiori, eadem vel maiori quantitate cereuifiae dilui potest.

b) bilis iners.

Ex feybalis induratis, minusque coloratis, albicantibus, ex indigestione, abdo-

C 2

mine



mine tumido, acrimonia acida primarum viarum praeualente, tumore hepatis, signa bilis inertis diducere solemus. Remedia hic adhibenda sunt vel substituentia, vt feltauri; vel tonica, quae laxitatem prim. viar. meliorent; haec fere sunt omnia amara extracta, et essentiae, sic corticis aurant, ab synth. Gentian. Fumar., tincturae alcalinae, decocta ex herbis amaris etc. mixta; plerumque tonica cum substituentibus adhibentur.

c) obstrunctiones.

Diagnosis viscerum obstructorum abdominalium saepius est bigua, quamvis totius morbi decursus, et anatomia nos edoceant, in rachitide ferme semper viscerum adesse obstrunctiones.

Tumor in hypochondrio dextro, respirationem laedens, obstrunctiones alii (dum obadauctam eius massam tractum intestinalem comprimit), inquies, aliaque signa bilis viatiae, obstrunctiones et affectiones hepatis designare solent.

Ex scybalis colore mutatis, induratis, ex alio obstructa, atrophia, ictero etc. obstrunctiones systematis venarum portarum videre licet. Interdum quoque tuberculata, praesertim partis hepatis conuexae tactu sunt sentienda.

Lienem deprauatum ob situm eius profundiorem difficulter agnoscimus; praetera induratio-

durationes in hypochondrio sinistro detectae,
nil nisi excrementa erant, plerumque accu-
mulata et indurata.

Glandularum mesaraicarum obstructions,
si quandam acquisierint magnitudinem, et si
abdominis integumentis propinquae iacent,
tactu sunt cognoscendae, caeterum ex de-
fectu nutritionis, ex intumescientia glandu-
larum colli aliarumque partium et mesa-
raicae diiudicantur obstructions.

Quibus omnibus satis liquet, sumnum
medici esse officium, quod statum abdominis
semper recte disquirat, cum ab his obstruc-
tionibus summa corporis detimenta depen-
deant.

Medicamenta, hic quae praescribimus,
sunt resoluentia tonica et incidentia: fel tau-
ri, rheum in refracta dosi, flores sales ammo-
niaci martiales, sales alcalini cum cortice
peruviano aut rubia tinctorum; martialia,
thermae carolinae, marubium album, cae-
teraque amara, dari possunt sensibilibus et
debilibus, nec qui multa laborant pituita.

Subiectis vero his oppositis, quorum vis
muscularis nondum prosternit, quae sensibili-
tate et irritabilitate gaudent parca, quorum
viae primae multa pituita sunt obductae,
prosunt potius: ossa Helmontii, sapo venetus
cum amaris mixtus, cicuta, sales neutri,
tartarus tartarisatus, Liquor terrae foliatae
tartari, sal polychrestus GLASERI, sul-

C 3

phur

phur eiusque praeparata, antimonialia, mel, extracta varia etc.

Saepissime vero vtraque iuncta adhibere iuuat, et plerumque tunc rheum cum sale neutro. ROSENSTEIN commendat praeferunt in hepate obstructo rheum cum amaris; et pillulas ex offa Helmontii, sapone veneto, cum felle tauri et amaris.

In obstructionibus mesaraicis laudantur praecipue infusum glandularum querici tostorum frigidum; extractum cicutae (STOERK); aethiops mineralis (COOK 40); aethiops mineralis cum rheo (HEISTER). PERCIVAL 41 laudat emplastrum vesicatorium.

d) acrimonia acida.

Facies pallida, si ructus, sudores, expiratio, excrementa etc. acidum olen signa sunt, e quibus hanc opinamur acrimoniam Remouetur.

α) euacuantibus, quorum iam mentio facta est; purgantia cum absorbentibus commiscentur.

β) diaeta animali, qua dispositio alcalina augetur, nimirum: iuscula ex carne vitullina, gallinaria; caro cum viuis passis praeparata et caetera supra iam dicta.

γ) ab-

40) eius Kinderarzt S. 60.

41) Dissert. de rachitide.

γ) absorbentibus terreis et alcalinis:
sapo, aqua calcis, soda depurata aqua
soluta, sal tartari, ostracodermata 42).
huc pertinent. ROSENSTEIN exinde
hanc plerumque dedit formulam.

Rq. Soda depurat. siue.

Sal. tart. ʒʒ.

solv. in

▽ fontan. ℥j.

D. S. 20 - 100 Tropfen

nach Beschaffenheit des Alters.

§. 21.

C. Morbi complicati.

Complicationes, quae saepissime occurunt
hae ferme sunt: variolae (BÜCHNER) mor-
billi et exanthemata alia chronica: scabies nimi-
rum, tineae, achores, crusta lactea; praeterea
febres intermittentes, dentitio difficilis, catar-
rhi, symptomata pleuritidis, et peripneumoniae
nothae, labes venerea, scorbutus, scrophuli, et
praesertim vermes, et hydracephalus internus.

Medlam hic tradere specialem nemo a me
exspectabit. In genere haec cautela obserua-
tur, quod numquam praecipue in morbis magis
inflammatoriis: pleuride, peripneumonia, va-
riolis, morbillis etc. summam rachitide coniun-

C 4 etiam

40) vid. de HAEN rat. med. part. XI. cap. VI.
p. 248.

etiam obliuiscamur debilitatem, summaque ergo prudentia agamus in methodo antiphlogistica.

In lue venerea, affectione iam per se infanibus perniciissima, mercurio dulci et frictiōibus vti quidem possimus, sed simul semper roborantia coniungi debent.

Exanthemata chronica non supprimere, sed adiuuare praeſtat.

Medela scrophularum et scorbuti non multum illi rachitidis abhorret.

Febres intermitentes, si vel fortioribus tractentur euacuantibus, vel longius protrahantur, obstructiones abdominales facile producunt, summam ergo requirunt praeſtationem.

Dentitio difficultis melius diaeta exquisita (v. §. 18.) quam medicamentis tractanda esse videtur.

Complicatio verminosa euacuantibus, quibus anthelmintica admiscentur, tolli potest.

In hydrocephalo interno complicato ne vix quidem restitutionem periclitari iuvat. Attamen vero auxilium miserrimis, quantum fieri potest, non denegandum esse puto, cum tot morbis iam emerserint, qui conclamati omnibus videbantur.

§. 22.



§. 22.

D. Humores praeternaturales.

Hi suis quibuslibet remediis tolluntur. In pituita adhibentur incidentia, resoluentia et euacuantia: tartarus tartarisatus, rheum cum salibus neutris etc. In acore praestant antacida: alcalina nimirum et ostracodermata. In spissitudine valent diluentia et humectantia. In ferositate euacuantia et roborantia, et sic in quoquis genere diuerso remedia et adhibentur diuersa.

§. 23.

E. Debilitas corporis.

Haec omnia ex §pho 18. hactenus tractata, bene si executi sumus, omnium primaria remanet nobis indicatio, ea nimirum, ut corpori robur integritatemque reddamus. Summa laxitas solidorum, summa virium muscularium consumtio, quae in ipsa phthisi consumtissima vix maior esse potest, summaque functionum laesio, rachiticis tam appropriata sunt, ut horum restitutio omnibus caeteris praeualeat indicationibus. Hinc iam ex morbi initio roborandum est, quamuis et hoc non sine cautelis.

Regimen frigidum, diaeta exquisita, motus corporis, frictiones, pannis aromate quodam imbutis, institutae, multum hic omnino efficiunt: sed saepius et aliis adhuc indigemus adiuvantibus, ipsumque efficacioribus, quo pertinent: lotio cum aqua frigida, balnea gelida, cortex peruvianus, rubia tinctorum, ens vene-

ris



ris Boylei (quod melius ens martis, vocatur) omnia martialia, omnia amara, herba britanica, vina varia roborantia etc. Sin vero haec omnia, praesertim aquam frigidam et interna tonica adhibere intendimus, sequentia adhuc respiciamus.

Indicantur enim solummodo:

- a) si motus febriles cessant, nisi forsitan a debilitate aluntur. Interdum quoque, sub ipso tonicorum vsu, redeunt noui motus febriles, qui satis tunc indicant, plane iis abstinere, ipsoque cortice peruviano. ARMSTRONG 43) enim, et cum eo plures, obseruarunt corticem in curanda hac febre non solum non esse necessarium sed et nocuum.
- b) Post sordes euacuatas; resolutas viscerum obstructiones, restitutam digestiōnem; et sublata caetera, quae roborantibus obstabant. Sordes vero a debilitate alitiae, requirunt, post resoluens et euacuans, roborantia.
- c) si ex vsu tonicorum infantes reconualescunt, si euadunt agiliores magisque viuaces, si appetitus remanet bonus, vires adaugentur, dejectiones alii non denuo laeduntur, scybalaque sunt bona et integra.
- d) si

43) über die gewöhnlichsten Kinderkrankheiten,
übersetzt v. SCAEFFER. p. 102.

d) si nulla adest Idiosyncrasia. Eligendum ergo est raborans; et sic ex altero vide-
mus effectus optatissimos, cum alterum
luculenter esset nocuum. Vid. ARM-
STRONG l. c. p. 101. 102. 103.

Praeter robورantia supra nominata BENE-
VOLI 44), BÜCHNER, CVLEN, pluresque
laudent Venerem, immo CVLEN maiorem
vim robورantem, quam marti adscribit. Sed in
tanto tonicorum numero et veneris viribus aliis
reuera suspectis eam negligere melius est. Alii
quoque lac hominum et animalium commen-
dant, sed hinc acrimonia illa rachiticorum acci-
da non sine ratione metuitur. Infantibus re-
cens natis, vbi vsum eius saepe euitare non
possimus, cum aqua calcis mixtum propinare
valet. Sed robورantia praestantissima, interne
danda, semper manebunt iam indicata, praeci-
pue Cortex, rubia tinctorum et martialia, et
ex his aethiops mineralis et Vinum chalybea-
tum cum aromatibus imbutum. Aquae medi-
catae martiales, sic quae florent Pyrmontii,
Spaae, Schwalbachiae, Cliuiae etc. simul huc
numerantur.

§. 24.

F. Deformitates.

Morbus nunc ipse idoneis medicamentis su-
peratus diminui si incipit, symptomata omnia
cessunt

44) Dissertazioni et osseruazioni tre telle quali sulla
Rachitide.

cessuat, febris dudum iam abest, calor carnis melior evadit, tumor abdominis minuitur, motus musculares, plane antea extincti, paullatim restituuntur etc. et sic infantes ex die in diem reconualescentes robore et sanitate coaetaneos adaequant. Attamen saepius nonnulla remanent vestigia rachitica, ossium scilicet deformations variae. Sed notandum est, naturam ferme numquam esse efficacorem, quam in reformatis his abalienationibus. Vfus lororum, fasciarum, thoraculorum, ocrearum aliorumque instrumentorum, quibus parentes, de prolium figura solliciti, vtuntur, magis plerumque nocet, quam prodest. Melius semper erit si iis omnibus abstinemus. Ocrearum vodus forsitan adhuc liceat, dum iactura deinde facienda raro erit magna. Evitanda porro sunt: situs corporis perpendicularis, eiusque positiones continuae eadem, corporis pondus ad inferiora, pressiones externae e. gr. illae si mulieres infantes malo situ vlnis gerunt; illae porro a vestimentis inhabilibus etc. Euitandus quoque nimius motus corporis, nimius virium muscularium vodus. Maiori cum effectu, naturam adiuturi adhibemus roborantia quaedam exteriores: lotiones topicas, frictiones, infractiones variorum tonicorum. Hae omnes instituantur cum Spiritu Vini, Spiritu Vini camphorato, oleis aethereis, Spiritibus fortiter olentibus, decoctis herbarum roborantium, et adstringentium, vnguentis neruinis ex bals. peruv. oleo pucis Moschatae espresso et sic porro.

§. 25.



§. 23.

C. Symptomata vrgentia.

Haemorrhagiae, sudores profisi, diarrhoea, febris nimia, summa virium prostratio; obstructio aluina, abdomen nimis tumidum, spasmī rachitidem saepius concomitantur et mediam requirunt quandam specialem, quam vero profusius hic tradere, meum non est, nec limites harum paginarum permittunt.

Haemorrhagiae oriuntur plerumque ex cauſa primarum viarum, vel ex sanguine fluidiori, vel ex contractilitatis virium vasorum defectu, hinc ergo euacuantia, sanguinem coagulantia, et roborantia prosunt.

Sudores profusi requirunt plerumque regimen gelidius, euacuationes primarum viarum et tonica.

Diarrhoea nimia rheo, aromatibus, inuolventibus, et opiatibus plerumque moderatur. Febris nimia saepissime e primis viis oritur, et emetico aut purgantibus sedatur, roborantia rassisime hic valent, praeterea disquirendum est, an cauſa sit vleus internum, debilitas, irritamentum nervinum, acrimonia quaedam etc. quibus cauſis et therapia fit appropriata.

Opium, camphora, Moschus caeteraque fendantia coercent plerumque spasmos, nisi cauſa eorum sit materialis e. gr. fortes euacuandae, ossa fracta, ossa incurvata, spina distorta, quae

quae omnia nervos irritare, et partim remoueri
possunt partim non.

In nimia virium prostratione profundit fric-
tiones, regimen gelidius, lotiones cum aqua
frigida aut aqua aromatica, cardiaca, balnea te-
pida, aromatica.

Obstructio aluina clysinatibus, quibus robo-
rantia et interdum stimulantia misceri possunt,
plerumque tollenda est.

Contra abdomen tumidum nonnulli suadent
frictiones ex vnguento emollienti ut Althaeae,
linimentum volatile, praeterea euacuantia
et resoluentia.

E R R A T A.

Pag.	3.	§.	3.	lege	confundi	loco	confundit
—	4.	lin.	21.	—	curauit	—	curravit
—	10	—	22	—	Respiratio	—	Risperatio
—	16	—	1	—	corporis	—	corperis
—	16	—	18	—	contagiosam	—	cortagiosam
—	26	—	15	—	repercutiunt	—	repertiunt

1. 1. 1. 1. 1. 1.
1. 1. 1. 1. 1. 1.
1. 1. 1. 1. 1. 1.
1. 1. 1. 1. 1. 1.
1. 1. 1. 1. 1. 1.

P

A

WD 18
PICA




JL

D E

11

R A C H I T I D E



R

GR

IO

